

ctatur Σ cum K: ſitque KΣ linea apparentis motus Solis, KY linea æqualis motus Solis.

PTOLEMÆVS igitur Planetarum curſus expendit, non in lineis KΣ, ſed in lineis KY eductis ex K parallelis ipſis ΨΣ per corpus Solis euntibus. Quoties enim Planeta in has KY incidit e regione Solis, ſupponebatur exuiſſe ſecundam inæqualitatem, quæ ei accidebat (ſecundum opinionem PTOLEMÆI) ratione epicycli. & tunc inſtrumentis explorabatur locus Planetæ, in quo ſub Fixis apparebat, ſupponebaturque centrum epicycli tunc inveniri in eadem linea. Id factum aliquoties & in diverſis zodiaci locis: eſto in lineis Kr, KY, & oppoſitis. Ex tribus igitur hujusmodi locis Planetæ (ſeu centri epicycli, qui ſecundæ inæqualitati ſervit apud PTOLEMÆVM) cepit artifex inveſtigare inæqualitatis primæ hypotheſin, comparatis his angulis, quos loca deprehenſa conformarent in K centro terræ & viſus, cum temporibus intercedentibus. Methodus hujus negotii in PTOLEMÆO invenitur lib. IX.

Eſto jam confecta pragmatia, & prodeat linea apſidum eccentri ΚΔΑΧ, Δ punctum æquatorium, centrum eccentrici in hac linea & puncto Δ, & eccentricus XZ. & reſpondeat hæc hypotheſis omnibus locis obſervatis ſub articulos oppoſitionis Planetæ cum Solis loco medio.

Hic quę Copernico objeci de concinnitate motus Phyſici, non plane & in Ptolemæum quadrant. Nam centrum quidem epicycli, qui ſecundę ſervit

ſervit inæqualitati, hic æque ac prius ipſe Planeta, transfertur tarde celeriter pro ſuo ad K terram acceſſu vel receſſu in circulo XZ. ineſſe autem in K terra (ut prius apud Copernicum in Sole corde mundi) vim motricem, quæ centra hujusmodi epicyclorum circumagitet, abſurdum & monſtroſum eſt ſtatuere. Alia vero via impugnari ex Phyſica poteſt hæc hypotheſis. Eſt enim huic formæ quodammodo propria ſoliditas orbium, qua (per Tychonis Brahe obſervationes cometarum) deſtructa hæc per ſeſe quodammodo cadere videtur hypotheſis. ſtatueretur enim vis motrix in centro epicycli (in non corpore ſed puncto Mathematico) reſidere, & agitare ſe ipſam de loco in locum transeundo idque æqualibus temporibus inæqualiter; ſimul vero & ſecum attraheret Planetam ad propinquitatem diametri epicycli, illumque ſimul circa ſeſe gyraret æqualibus temporibus æqualiter. Hęc tanta varietas in unam motricem mentem cadere non poteſt, niſi DEVS ſit, ſuffragante ARISTOTELE lib. I. Metaphyſicorum cap. VIII. cui placet ſingulis motibus æqualiſſimis & ſimpliciſſime circularibus ſingulas præſidere mentes. præterea, qui virtus aliqua ſedebit in non corpore, effluet ex non corpore in Planetam? Quod ſi etiam dividas munia, & motricum intelligentiam unam in centro epicycli colloces, alteram in corpore Planetæ; ea quæ in centro, terram (corpus nempe) reſpiciet & circumibit terram in circulum inæqualiter, quæ vero in puncto circumferentiæ (nempe in corpore Planetæ) circumibit centrum incorporeum & id æqualiter. Quæretur igitur, ut ſupra, Quibus illa adminiculis id incorporeum punctum circumveniat. Non enim per Geometricam imaginationem, ut quod Geometricam ſui imaginationem non admittit. nec punctum mobile in non corpore vel imaginando ſubſiſtere poteſt. & nos homines hujusmodi puncta imaginantes adminiculis utimur tabellarum vel papyri, quæ tractamus manibus vel meminimus nos olim tractaſſe. At neque per Phyſicam effluxionem virtutis (quæ in centro epicycli) usque ad circumferentiam & corpus Planetæ. Jam enim ſuſtulimus hunc virtutis effluxum, diviſis muniis compoſiti motus inter binas mentes. Quin etiam in prima & eccentrica motione dubitatur, an virtus aliqua naturalis ad motum inferendum comparata poſſit in puncto aliquo ſubſiſtere quod omni proprio corpore careat? multo magis, an hujusmodi incorporea virtus ſe ipſam circa terram circumagitare & de loco in locum transire poſſit? & multo maxime, an motum alii per effluxum ex ſe ipſa communicare ſeu inferre poſſit, nulli innixa corpori ceu nido? Nam quæ ſublimia de eſſentia, motu, loco, operationibus, beatorum angelorum & ſeparatarum mentium, mihi opponere aliqui volent, impertinentia ſunt. Diſputamus enim de rebus naturalibus dignitatis longe inferioris, de virtutibus nullo arbitrio ad variandam actionem ſuam uſis, de mentibus minime ſane ſeparatis cum ſint conjunctæ & alligatæ corporibus cœleſtibus vehendis. Atque hæc in genere Ptolemæo objici poſſunt.